



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula facultatis construendi sepulcra.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Formula describendi matrimonio iunctos in libro. Habetur supra parte 4. Actorum. pag. 806.

Formula describendi fideles in libro status animarum. Habetur eadem parte 4. pa. 618.

Formula approbationis fabricæ Ecclesiasticæ.

**C**Arolus &c. S. N. loci N. plebis N. situm, formam, ac designationem, hac pictura de Architecti periti iudicio & consilio expressam, a nobis diligenter inspectam, cum instructionum nostrarum fabricæ Ecclesiasticæ rationibus congruentem, nos comprobamus, ad eiusdemque præscriptæ omnis designationis typum formamque illius Ecclesiæ instaurationem ædificationemve fieri, & confici, adhibita consultatione Vicarij foranei, & nostra etiam, quando opus erit, in instaurationis ædificationisve progressu, his literis nostris cõcedimus. Dat. &c.

Formula facultatis profanandis Ecclesiam ratione vnionis faciendæ.

**C**Arolus &c. Dilecto nobis in Christo Reuer. D. N. salutem in Domino. His nostris, tam auctoritate nostra ordinaria, quam etiam vigore sacri Concilij Tridentini, & Prouincialis quarti, aliarumque facultatum Apostolicarum nobis desuper concessarum, aliasque omni meliori modo, iure, via, causa, & forma, quibus melius & validius possumus; licentiam & facultatem tibi concedimus profanandi Ecclesiam N. alias Monasterij monialium S. N. per nos superioribus diebus suppressi, & Ecclesiæ Monasterij S. N. vniri: & hoc ad effectum, vt hæc quoque Ecclesia incorporari possit alijs dicti Monasterij ædibus, cum licentia & decreto nostro nuper R. D. N. per prædictas moniales venditis: seruata tamen per te in præmissis forma ex decretis Concilij prædicti Prouincia-

lis quarti præscripta: omnimodasque vices nostras tibi in præmissis & circa præmissa committimus, & delegamus. In quorum fidem &c.

Formula facultatis Construendi sepulera.

**C**Arolus &c. Harum literarum serie Reuerendiss. D. D. Præposito, Canonicis, ac Capitulo Collegiatae Ecclesiæ S. N. Burgi N. Mediolanensis diocesis, vt tria sepulera in eorum Collegiata, ac scholaribus Sanctissimi Crucifixi scholæ Sanctissimi Sacramenti vnitum etiam in dicta Ecclesia alia tria respectiue pro se, eorum que successoribus fodere, construereque, seruata tamen in his, & Conciliorum Prouincialium, potissimum Quarti, ac Visitatoris Apostolici decretis, aliisque a nobis super hoc editis, præcipue fabricæ Ecclesiæ instructionibus, insculptis etiam literis, videlicet N. N. N. N. N. N. N. per nos visis, & comprobatis, modo tamen non superemineant, neque fu- perextent, facultatem concedimus. volentes insuper, ac per præsentis permit- tentes, vt ijdem RR. Præpositus, & Capitulum, ac etiam scholares præfati, humum, terram ve horum occasione in ipsa Ecclesia effossam super alueum vicini torrentis, seu ad alium arbitrio R. D. Præpositi locum eligendi etiam profanum asportari facere possint. In quorum fidem &c.

Formula concedendi Indulgentias.

**C**Arolus &c. cat. Vniuersis Christianis fidelibus præsentis literas inspecturis salutem in Domino. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera deuotionis inducimus, tanto salubrius animarum suarum saluti consulimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia confisi, omnibus, & singulis Christianis fidelibus vtriusque sexus verè penitentibus & confessis, qui Ecclesiam Sancti N. a primis vesperis vsque ad occasum Solis eiusdem diei festi deuotè visitauerint, ibique pias ad Deum pre-